

O. Benedykt J. Huculak OFM<sup>1</sup>  
Kalwaria Zebrzydowska

PERSONA SUSTENTAT NATURAM,  
ET NON EAM ‘SUBSTANTIFICAT’  
DE CORRIGENDA EDITIONE LIBRI  
IOANNIS DUNS SCOTI

Notiones ‘naturae’ et ‘personae’ sunt magni ponderis non solum in re philosophica, sed etiam in theologia, quod earum rectus usus necessarius est ad indicandum, in quonam consitant fidei catholicae arcana vel duo principalia, nempe veritas de Deo trino et de Domino Iesu Christo, vero Deo veroque homine. Nunc de eis scribendum venit propter mutationes factas ab hodierno praeside coetus Scotistici in edendo libro beati Ioannis Duns Scoti de Incarnatione: in volumine, quod prodidit anno 2006, continens multa aliena cum a mente tum a codicibus Doctoris Subtilis. Praesidi pluries comiterque dictum est ab eiusmodi interventibus abstinentium esse, idque illi patefactum “non singularitate contentiosa vincendi, sed humilitate concordandi” – quemadmodum declaratum est de ipso Ioanne<sup>2</sup> –, simulque iuxta Evangelii legem de correctione primum facienda sine ullo teste (Mt. 18, 15-17).

In paranda editione libri III commentariorum Scoti in *Sententias* (d. 1) ubicumque in codicibus unanimiter prostat verbum ‘sustentare’ (vel ‘sustentificare’, quod idem indicat) – relative ad assumptam naturam humanam sustinendam a persona Filii –, ibi Praeses posuit vocabulum ‘substantificare’, quod tamen indicat actionem diversam<sup>3</sup>. Res autem gravior est, quod cum hoc factum esset vicies

<sup>1</sup> O. dr hab. Benedykt J. Huculak OFM, profesor teologii dogmatycznej w Wyższym Seminarium Duchownym OO. Bernardynów w Kalwarii Zebrzydowskiej, długoletni badacz pism bł. Jana Dunsa Szkoła, członek Komisji Szkotystycznej w Rzymie przygotowującej wydanie krytyczne jego dzieł.

<sup>2</sup> Ioannes Gersonius, *Lectiones duae ‘Paenitemini’* II, c. 5: *Opera omnia* IV, Parisiis 1521, f. 34rb.

<sup>3</sup> Ioannes Duns Scotus, *Ordinatio* III, d. 1: *Opera omnia* (ed. Commissio Scotistica OFM) IX, Civitas Vaticana 2006, pp. 1-116; *Lectura* III, d. 1: *Opera omnia* XX, Civitas Vaticana 2003,

quater (24) in *Ordinatione* et trigies semel (31) in *Lectura*<sup>4</sup> – quae est parallelus commentarius praecedens *Ordinationem* –, haec commutatio praeter unum locum<sup>5</sup> nusquam notatur in apparatu lectionum<sup>6</sup>. Quam rem ille putavit in tuto posuisse omnique onere se expedivisse, cum in utroque scripto extra apparatum singulam notam adiunxisset, qua contendebat Ioannem illud verbum transcripsisse ex libro Guillelmi Warensis vel aliquot aliorum hominum Scholae vetustioris. Simil autem ostendit se non percepisse differentiam inter vocabulum ‘substantificare’ et verba ‘sustentare’ et ‘sustentificare’ vel ‘substentificare’, cum utrobique putaret illa significare idem atque reduci ad suum ‘substantificare’<sup>7</sup>. Propterea in his paginis primum agetur de aspectu linguistico et hermeneutico – quadamtenus exteriore –, deinde vero de ipso conceptu theologico, ac demum de rei testimoniis, quo accident pauca alia animadvertisenda. Conclusioni vero adiungentur duae paginae manu scriptae, quo cernatur, quomodo voces prostent in codicibus.

## RES LINGUISTICA ET HERMENEUTICA

Ante omnia animadvertisendum est verbum ‘substantificare’ sua significatione longe differre a vocabulo ‘sustentare’ eique aequivalentibus ‘sustentare’ et ‘sustentificare (substentificare)’. Prius enim oritur e radice ‘substantia’ et significat ‘constituere aliquid in statu substantiae [seu naturae], et non accidentis’. Nullatenus tamen significat ‘facere, ut aliquid <subsistat>’, quia hoc verbum respondet nomini ‘subsistentia’, et non ‘substantia’. Illa vox autem ‘subsistentia’ exacte cohaeret cum Graeco verbo *hypostasis* indicante personam seu ‘suppositum [rationale]’, quaemadmodum saepe ait b. Ioannes. Vocabulum vero alterum cum suis derivatis oritur e verbo ‘sustineo’ ut eius species frequentativa seu continuativa<sup>8</sup>. Conflatum est autem e duabus partibus, nempe praepositione ‘sub’ et verbo ‘teneo’, ideoque radicaliter significat: ‘teneo aliquid manibus subter positum’, itaque ‘facio, ne quid cadat deorsum seu ne destruatur corruens’.

---

pp. 1-76. – In ambobus his voluminibus continetur prior pars commentariorum beati Ioannis in librum III *Sententiarum*, distinctiones nempe 1-17.

<sup>4</sup> Utrobique accedit eiusmodi commutatio in ambarum quaestionum titulis editorialibus: apud *Ordinationem* III in p. 60, penes *Lecturam* III vero in p. 54.

<sup>5</sup> *Ordinatio*, q. 4, p. 64.

<sup>6</sup> In Ioannis *Lectura* III hoc, praeter erroneum titulum editorialem (p. 54), factum est locis sequentibus: p. 26 (semel), p. 54 (quinquies), p. 55 (octies), p. 56 (ter), p. 57 (bis), p. 58 (septies), p. 59 (quater), p. 60 (semel). In parallela vero parte *Ordinationis* III item praeter titulum (p. 60) – in p. 35(bis), p. 50 (semel), p. 53 (semel), p. 55 (semel), p. 60 (bis), p. 61 (quinquies), p. 62 (bis), p. 63 (ter), p. 64 (ter), pp. 65-66 (semel).

<sup>7</sup> Apud *Lecturam* III nota 214 Testimoniorum in p. 54; apud *Ordinationem* III nota 169 (T) in p. 60.

<sup>8</sup> A. Traina, T. Bertotti, *Sintassi normativa della lingua latina*, Bologna 2003, pp. 238, 284; V. Tantucci, *Urbis et orbis lingua*, Bologna 1986, pp. 146-147.

Hoc modo rem illustraverat Philippus Cancellarius, illustris doctor Scholae Parisiensis (m. 1236), cuius quidem opera Ioannes noverat. Explicans nebulosam Damasceni locutionem 'hypostasis composita'<sup>9</sup> de Iesu Christo, Philippus ait: "Hypostasis dicitur composita, quoniam sub-stat illis duabus naturis [divinae et humanae]. Continet ergo utramque naturam, sive – quod melius dictum est – sub-posita est utrique naturae"<sup>10</sup>; et hoc sensu "stat sub illis"<sup>11</sup>, utramque subtenens seu sustinens in singularum exsistentia propria.

'Suppositum' vero, quod significacione proximum est 'personae' sive 'hypostasi'<sup>12</sup>, est nomen relativum, quod requirit 'id, quod superpositum est'. Patet autem 'superpositum' sustentari seu supportari a supposito, quemadmodum omnia, quae sunt aedificii, sustentantur a fundamentis<sup>13</sup>. Hac re subtilius perspecta, Ioannes Duns Scotus eiusque discipuli adhibebant vocabulum 'sustentare'; coaevus autem Ioannes Murrinus OFM et paulo anterior Robertus Kilwardby OP, Britanicus conterraneus b. Ioannis et Guillelmi Warenensis, utebantur aequivalenti verbo 'supportare'. Eiusdem fere generationis Petrus Falcinus OFM<sup>14</sup> applicabat quidem de more vocem 'stabilire'<sup>15</sup> – quae certe evocat imaginem 'fulcimenti' vel 'fundamenti', quo nituntur aedes<sup>16</sup> –, sed eodem sensu utebatur etiam verbo 'sustinerre'<sup>17</sup>. De his autem doctoribus plus dicetur in parte secunda.

'Substantificare' hoc loco non concordaret etiam cum re philosophica, ubi ipsa 'natura', de qua agitur, indicat idem ac 'substantia': ambae enim sunt re unum, distinguuntur autem aspectu, sub quo illa res mente concipitur. Dicere igitur 'sub-

<sup>9</sup> *De fide orthodoxa* III, cc. 4, 5: PG 94, 997b. 1000c; cf. Ch. Pesch SI, *Praelectiones dogmaticae*, vol. IV: *De Verbo incarnato, de beata Virgine Maria, de cultu sanctorum*, Friburgi Br. 1900, pp. 68-70.

<sup>10</sup> *Quaestiones de Incarnatione*, q. 3, n. 45: W. H. Principe CSB, *Philip the Chancellor's Theology of the Hypostatic Union*, pars II: *Texts of Philip the Chancellor on the Hypostatic Union*, Toronto 1975, p. 185.

<sup>11</sup> Ibid.; cf. etiam partis I: *Study of Philip Chancellor's Theology of the Hypostatic Union*, pp. 100-101, 105.

<sup>12</sup> Ioannes Duns Scotus, *Quaestiones quodlibetales*, q. 9, n. 3: *Opera omnia* (ed. Fratres Minor Observantes in Francia) XXV, coll. 380-381: "Tertio modo 'ens per se' dicitur illud, quod habet actualitatem ultimam, ita quod non est ordinabile ad aliquem actum simpliciter ultra istum, quem habet... Quod hoc modo est 'per se ens', communiter dicitur 'suppositum', et in natura intellectuali dicitur 'persona'... Istud solum dicitur proprie *subsistens*... Per se subsistens habet actualitatem ultimam non ordinabilem per se ad aliquem actum ulteriorem".

<sup>13</sup> Thomas Aquinas, *Summa theologiae* III, q. 2, a. 3: "Hic homo dicitur esse suppositum, quia... supponitur his, quae ad hominem pertinent, eorum praedicationem recipiens".

<sup>14</sup> A. J. Gondras, 'Introduction' in Pierre de Falco, *Questions disputées ordinaires* (Analecta mediaevalia Namurcensia, 22; ed. Idem) I, Louvain-Paris 1968, pp. 7-9.

<sup>15</sup> *Quodlibet* I, sectio 2, q. 1: Pierre de Falco, *Quaestiones disputatae de quolibet* (ed. A. J. Gondras), in *Archive d'Histoire Doctrinale et Littéraire du Moyen Age* 33 (1966), p. 133.

<sup>16</sup> Petrus Falcinus OFM, *Quodlibet* II, q. 3, ibid., p. 205.

<sup>17</sup> Ibid.

stantificare naturam' esset idem ac dicere 'petrificare petram'. Ad utramque vero notionem 'naturae' ac 'substantiae' accedit aequivalens conceptus 'essentiae'<sup>18</sup>. Satis notum est has tres voces indicare quidem unum idemque, sed 'essentia' illud complectitur ex parte intrinsecae indolis essendi sive ut cohaerentem summam peculiarium proprietatum constitutivarum; 'natura' autem illud ostendit ut principium operationis vel passionis, unde eloquim: 'Operatio sequitur esse'; 'substantia' demum – quatenus illud habet esse in semet, et non in alio, itaque *stat sub accidentibus*, qui utique hac ratione sunt quid contrarium substantiae, quoniam in semet non habentes esse, adhaerent illi<sup>19</sup>.

Vocis autem 'sustineo' auctio in formis 'sustentifico' vel raro 'substentifico' est consueta res in Aetae media et prorsus similis transitibus 'hono-ro – honorifico' vel 'testor – testificor'<sup>20</sup>. Forma vero illa rara 'substentificatio' a gemina 'sustentificatio' distinguitur solum eo, quod est propinquior radicibus 'sub-teneo', intermediā consonanti 's' additā iuxta leges iucundioris pronuntiatūs Latini, quod e. g. cernitur etiam in formis verbi 'suffero' (sub-fero): 'su[b]stuli', 'sublatum'<sup>21</sup>. Patet igitur, quam primo aspectu similes sint voces 'substentificare' et 'substantificare', cum tamen significazione sint prorsus diversae.

Forma 'substentificare' est rarissima in codicibus Scoticis<sup>22</sup>, ubi fere semper occurunt aequivalentes voces 'sustentare' (simplex) et 'sustentificare' (aucta). Ideo ne esset quidem, cur de illa tractaretur hoc loco, nisi illa videretur causavisse duo: unum in transcribendis codicibus Scholae vetustioris, quorum aliquos pro sua opinione allegavit Praeses, alterum in mente eiusmetipsius. Fieri enim potuit, ut amanuenses sive operarii transcribendorum codicum, qui theologiam linguamque Latinam nesciebant perinde atque hodierni operarii transribentes alienos

<sup>18</sup> Augustinus, *De Trinitate* VII, c. 4, n. 7: CCL 50, 255 (PL 42, 939): "Non aliter in sermone nostro, id est Latino, 'essentia' quam 'substantia' solet intelligi".

<sup>19</sup> Ioannes Duns Scotus, *Ordinatio* III, d. 1, pars 1, q. 1, nn. 28, 56: *Opera omnia* (ed. Romana OFM) IX, pp. 13, 26; A. Tanquerey, *Synopsis theologiae dogmaticae* II, Parisiis-Tornaci-Romae 1959, p. 342.

<sup>20</sup> *Ordinatio* III d. 1 q. 4 n. 2: *Opera omnia* XIV (ed. FF. Minores in Francia), p. 84; Carolus Franciscus Varesius OFM, *Promptuarium Scoticum* II, Venetiis 1690, p. 500.

<sup>21</sup> Cf. medium 't' Francorum in formis 'a-t-il', 'est-t-il' ac similibus. – Res autem patet etiam apud Richardum Mediavillanum, cuius opera Ioannes optime noverat et magni habuerat. Illic enim in brevi textūs particula octies (*otto volte*) idque uniformiter prostant formae veri 'substentifico': *Scriptum super tertium [librum] Sententiarum*, q. 4, Venetiis 1509, pp. 3a-3b.

<sup>22</sup> In codicibus *Quaestionum quodlibetalium*, ubi haec doctrina perfectissimam formam consecuta est (q. 19), vox illa peculiaris raro occurrit: in codice Parisiensi bibliotcae nationalis 3062 in ff. 207ra (semel), 207va (quinquies), 208rb (semel), 208va (bis); in codice Monacensi bibliothecae civitatis clm. 26309 in f. [4]rb (semel); in codice Trecensi 994 in f. 68a (semel). Sunt itaque casus adeo exceptionales, ut his locis in editione Fratrum Minorum in Francia merito prostet vox 'sustentificare', quae in codicibus est longe frequentior atque usitatior: *Quaestiones quodlibetales*, q. 19: *Opera omnia* (ed. FF. Minorum in Francia) XXVI, pp. 259-297. – Cf. C. du Fresne, *Glossarium mediae et infimae Latinitatis* IV, Niort 1886, pp. 683c, 682a.

textus ope computatri, dilaberent de originali, sed mira sibi scriptione 'substentare' ad aliam sibi magis imaginabilem 'substantificare'. Alta verisimilitudo huiusmodi lapsūs negari nequit a priori, si e. g. potuit fieri, ut quidam amanuensis exeuntis saeculi XIII, isque optimus sub aspectu scriptoriae pulchritudinis, transumens enuntiatum Scoti de Samaritano, qui inciderat in "pessimos latrones" (Lc. 10, 33-35), scriberet illum "incidisse in piissimos latrones"<sup>23</sup>. Praeses vero in codicibus eiusdem Scholae vetustioris cum vidisset nonnumquam prostare formam 'substantificare', errans putavit eam significare idem ac 'substantificare' et ad hanc reduxit non modo rarum illud 'substantificare', sed etiam aequipollentia illi 'sustentare' et 'sustentificare'<sup>24</sup>. Hoc suum commentum manu forti applicavit in edendo bino libro tertio Scoti.

Magni momenti est animadvertere in codicibus Ioannis Duns Scoti prostare illud verbum 'sustineo (sustentifico)', et quidem scriptum eodem prorsus modo atque locis allatis, ubi tamen iam in vestigio esset absurda eius associatio cum 'substantificatione', quoniam agitur de rebus omnino diversis, ad quas nihil conceptus illi metaphysici. Perpendatur e. g. initium quaestio XXI *Quodlibetalium*: "Utrum [aliquis] ponens mundi aeternitatem, possit sustinere aliquem esse universaliter bene fortunatum"<sup>25</sup>. Luce enim clarius est hic agi de sustinenda opinione, quam aliquis proponit, tenendo eam subter veluti manibus.

Inde autem, quod Ioannes Duns Scotus noverat commentaria e. g. Guillelmi Warensis et physice potuit ea exscribere ad litteram, nequaquam sequitur, ut efficeret huiusmodi rem; immo vero – omnia, quae nota sunt, testantur contrarium. Imprimis autem nota est regula: 'A posse ad esse non valet illatio'. Praeterea, si Ioannes putavisset se debere sequi Guillelmum Warensem – ne dicatur de Bonaventura vel dubiae auctoratis Petro I. Olivi<sup>26</sup> – non modo secundum lineas argumentationis, sed etiam relative ad conceptus et verba, ille numquam pervenisset e. g. ad sententiam de praeservativa redēptione Beatae Virginis, qua tamen doctrina longe superavit ea, quae Guillelmus dixerat, et utique hoc suo tributo perso-

<sup>23</sup> Codex Parisiensis bibl. univ., Lat. 38, qui inter alia continet librum IV *Ordinationis* b. Ioannis Duns Scoti. – Eiusmodi autem error vel dubium amanuensium semel vel bis conspicitur etiam in edito textu Richardi Mediavillani, *Scriptum*, q. 4, p. 3b. Quod autem saepissime conspicitur in transcriptis codicibus, ubi amanuensis, quotienscumque nesciebat legere verbi scriptiōnem compendiosam – medium scilicet stenographiam –, scribebat duas possibilites iunctas particula 'vel'; cf. Ioannis Duns Scoti *Ordinatio* IV, d. 1, qq. 4-5, n. 3: *Opera omnia* (ed. FF. Minorum in Francia) XVI, p. 144a, quae in codice Assisiensi 137 bibliothecae communalis, f. 188rb habet verba: "Virtus igitur SPIRITUALIS, quae est in sacramento", in parallelo codice Parisiensi Latino 3062, f. 60rb, bibliothecae nationalis, ob dubium amanuensis, sonant: "Virtus SUPER-NATURALIS vel SPIRITUALIS, quae est in sacramento".

<sup>24</sup> Vide binam eius notam, de qua mentio facta est supra, in n. 6.

<sup>25</sup> N. 1: *Opera omnia* (ed. FF. Minorum in Francia) XXVI, 332a.

<sup>26</sup> Concilium oecum. Viennense, Constitutio *Fidei catholicae* (sessio III, 6 V 1312): DH 900-904.

nali expedivit doctrinam de immaculato Conceptu ad definitionem dogmaticam versus. Ceterum illud argumentum Praesidis aequivaleret huic: ‘S. Irenaeus (m. 202 ca) nullatenus potuit adhibere vocabulum ‘Trinitas’, quoniam illud non occurrit apud s. Iustinum (m. 165 ca), cuius autem scripta Irenaeus noverat’.

In nota ad *Ordinationem Praeses* dixit Guillelmum posuisse similem quaestio-  
nem et “eisdem prope verbis”<sup>27</sup>, unde inferebat Ioannem simpliciter mutuavis-  
se non solum totam sententiam Warensis, sed etiam vocabula, imprimis illud ‘sub-  
stantificare’, de quo hic agitur. Verumtamen ista eius conclusio multo latius patet  
quam praemissae, nam ex solo simili titulo quaestionis nequit inferri doctrinae  
identitas. Plures enim auctores inter se differentes, sed non raro pertinentes ad eu-  
ndem ambitum theologicum – e. g. Parisiensem vel Oxoniensem –, suscipiebant  
considerandas quaestiones easdem vel similes, verum eas solvebant modo perso-  
nali. Hoc in prospectu animadvertantur magistri Ioannis Peckham OFM  
(m. 1292), coaevi Guillelmo Warensi, quaestiones duae: “Utrum, si non procede-  
ret a Filio, Spiritus Sanctus distingueretur ab ipso”<sup>28</sup> et altera, cui titulus: “Utrum  
Christus fuisset incarnatus, si homo non peccasset”<sup>29</sup>.

Cum eis, quae Pecham in illis exposuit, non solum concordat Ioannes Duns  
Scotus, sed utriusque titulos enuntiat verbis fere eisdem vel saltem aequivalenti-  
bus<sup>30</sup>, unde tamen non sequitur, ut limitetur expositione Peckhami, nedum sit lig-  
atus ad eius vocabula, sed e contrario – pluribus locupletavit eius expositionem,  
quod patet etiam e quaestionum amplitudine. Perfecit eas adeo, ut illae unanimiter  
censeantur peculiaria merita Ioannis Duns Scoti, quod certe non significat eum in  
illis exponendis non habuisse ullum praecursorem, qui aliquam rei partem seu  
gradum consecutus esset, cum tamen usque ad verticem adhuc longum ac difficile  
iter esset faciendum.

Quod ceterum patet e. g. in altera sententia parallela de Incarnatione, quae even-  
nisset, etiamsi homo non peccavisset. Assertio enim Ioannis Peckham adest quidem  
in textu Ioannis Duns Scoti, sed is rem contemplatur in prospectu largiore –  
in prospectu nempe reali, e non hypothetico –, qua re quaestione intitulat: “Utrum  
Christus sit praedestinatus Filius Dei”<sup>31</sup>. Ergo quemadmodum Ioannes Duns  
Scotus locupletavit doctrinam Peckhami, ita perfecit expositionem Guillelmi, cu-

<sup>27</sup> Nota 109 (T) in p. 60.

<sup>28</sup> *Quodlibet II*, q. 5: *Quodlibeta quattuor* (ed. Collegium Bonaventurianum OFM, *Bibliotheca Franciscana scholastica Medii aevi*, 25), Grottaferrata 1989, p. 86.

<sup>29</sup> *Quodlibet III*, q. 2, ibid., p. 134.

<sup>30</sup> *Ordinatio I*, d. 11, q. 2: *Opera omnia* (ed. Romana OFM) V, p. 9: “Utrum si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, posset stare distinctio realis ipsius a Filio”. In *Lectura III* autem, d. 7, q. 3, leguntur verba: “Si genus humanum non fuisset ita lapsum [in peccatum], [Christus] adhuc fuisset praedestinatus et [eius humana] natura unita Verbo”: *Opera omnia XX*, p. 213.

<sup>31</sup> *Opera omnia XX*, p. 211; *Ordinatio III*, d. 7, q. 3: “Utrum Christus praedestinatus sit esse Fi-  
lius Dei”: *Opera omnia IX*, p. 284.

ius quidem limitibus conceptualibus et vocabulariis non erat ligatus; idque factum est, licet titulus alicuius quaestione apud Warensem sonet similiter atque in opere Doctoris Subtilis. Quod ceterum patet, si animadvertisatur Ioannem e. g. reieceris opinionem Guillelmi de sustentatione seu terminatione humanae naturae in Christo orta inde, quod Filii persona divina virtualiter contineret perfectionem personae humanae, eiusque loco docuisse hanc terminationem niti independentiam divinae personae Filii<sup>32</sup>.

Illa demum advocatio Guillelmi Warensis ideo quoque nihil probat, quod Johannes Duns Scotus utique intra distinctionem 1 libri III, de qua hic loquimur, plures disputat cum suo magistro pristino, eo tamen fine, ut reiciat illius opiniones<sup>33</sup>.

## IPSE CONCEPTUS THEOLOGICUS

Textus Scoto anteriores, quos in bina sua nota allegavit Praeses, hanc solam vim habent: ‘Guillelmus (Bonaventura, Olivi, Marston) adhibuit vocabulum ‘substantificare’, sed remanet quaestio, quo sensu illud applicuerit, neque ratio habetur illum pertinuisse ad Scholam veterem, multo minus accuratam minusque subtilem quam Schola nova Ioannis Duns Scoti. In eiusmodi nota adiuncta ad *Lecturam*<sup>34</sup> allegatur Aquinas, verumtamen frustra, quod ille *de alia re loquitur*, nempe de “persona Filii Dei”, quae “substantificatur per naturam divinam”<sup>35</sup>, quam continet ut propriam eamque terminatur – quod certe rectum est –, et *non* de substantificatione *a supposito* (sive *a persona*), quod ceterum esset error non solum in re philosophica, sed etiam in theologia.

Similiter Bonaventura – iudicio peritorum quoque eius editorum – modo prorsus suo parumque caute adhibuit quidem verbum ‘substantificare’, sed non eo sensu, qui ei imputatur in nota huc pertinente. Invenerat ceterum illud vocabulum apud Dionysium, non agentem tamen de persona, sed de bono et malo<sup>36</sup>. – Vox illa apud Bonaventuram significat non impositionem personalitatis ulli natu-

<sup>32</sup> Ioannes Duns Scotus, *Ordinatio* III, d. 1, q. 1, nn. 19-21: *Opera omnia* IX, pp. 9-10: “Istud argumentum [Guillelmi] duplice deficit [...] Ideo [argumentum rectum] non est ex perfectione entitatis personalis, quasi ipsa contineat virtualiter quamcumque personalitatem creatam, sed ex hoc, quod illa entitas personalis est independens, et independens in quantum tale potest terminare dependentiam alterius ad ipsum, quod natum est habere talem terminum. Ista autem dependentia nata est habere personam pro termino, et non naturam. Igitur persona divina independens potest sufficienter terminare talem dependentiam naturae creatae ad ipsam” (iuxta codices in apparatu); cf. R. Cross, *The Metaphysics of the Incarnation. Thomas Aquinas to Duns Scotus*, Oxford 2002, p. 169.

<sup>33</sup> Vide huius distinctionis apparatus F in volumine IX.

<sup>34</sup> *Lectura* III: *Opera omnia* XX, p. 54.

<sup>35</sup> Thomas Aquinas, *De unione Verbi incarnati*, a. 4: *Opera omnia* (ed. Parmensis) VIII, col. 542a.

<sup>36</sup> Cf. Bonaventura, *Opera omnia* (ed. Collegium Bonaventurianum OFM) II, p. 812, nota 6.

rae singulare – quam ille appellat “substantiam ut *suppositum certum*, ut *quidam homo*”<sup>37</sup>, quia hoc modo indicatur *aliquis* –, sed *transitum e statu* “substantiae secundum naturam communem [seu conceptam intellectu]” – qua indicatur, *quid* sit hoc ens ‘homo’ “secundum substantiam [sive ‘essentiam’, quae est congeries proprietatum constitutivarum]”<sup>38</sup> – *in statum* “substantiae ut suppositi certi”<sup>39</sup>, quo fit, ut illa prior [subst. secundum nat. communem] fiat actu prasens ut *aliquis* [homo].

Bonaventura igitur “verbum ‘substantificare’ intelligit de eo fundamento, quod hypostasis dat naturae”<sup>40</sup>, dum efficit, ut ‘natura’ re ipsa exsistat ut aliquid singulare, in proposito certe ut ‘aliquis singularis’. Ergo ‘substantificare’ non pertinet ad impositionem personalitatis, sed ad perficiendam seu terminandam substantialitatem (seu ‘naturalitatem’), prout ceterum ipsa vox indicat, cum ‘substantificare’ morphologice significet ‘facere, ut aliquid fiat *substantia* [terminata]’, nempe id, quod ipse Bonaventura appellat “substantiam ut *suppositum certum*, ut *quidam homo*”<sup>41</sup>. Re quidem vera ille declarat: “In supposito *substantificatur* totum *esse rei*”, quod est synonymum essentiae, *substantiae* et naturae<sup>42</sup>.

“Eodem [quidem] verbo – aiunt Bonaventuriani – utitur etiam s. Thomas, sed non in eodem sensu, cum dicat de *persona* Filii, quod illa «simpliciter *substantificatur per naturam*»<sup>43</sup>. – His verbis accuratissime resumunt sententiam Thomae Aquinatis, qui e. g. in scripto *De unione Verbi incarnati* (a. 4) declarat haec:

In Christo autem suppositum subsistens est *persona* Filii Dei, quae simpliciter *substantificatur per naturam divinam* suam propriam coaeternamque, non autem simpliciter substantificatur per naturam humanam: quia *persona* Filii Dei fuit ante humanitatem assumptam<sup>44</sup>.

Patet igitur differentia, cum hic agatur de substantificatione *personae*, apud Bonaventuram e contrario – de satis peculiari substantificatione *naturae* (*substantiae*). Ergo non videtur Thomas esse citandus una cum Bonaventura quasi ambo dicant unam eandemque rem; quod tamen factum est in nota.

Praeterea ad Guillelmum quod attinet, Praeses allegat eius opinionem de induendo ‘modo substantiae’ vel ‘modo accidentis’ instructam exemplo sacramenti Eucharistiae<sup>45</sup>, qua re insinuat b. Ioannem fere litteraliter illam fecisse suam. Hoc

---

<sup>37</sup> *Commentarii in Sententias* I, d. 25, a. 1, q. 1: *Opera omnia* I, col. 437a.

<sup>38</sup> Ibid.

<sup>39</sup> Ibid.

<sup>40</sup> Ibid. III, d. 5, a. 2, q. 2, scholium: *Opera omnia* III, col. 135b.

<sup>41</sup> Ibid. I, d. 25, a. 1, q. 1: *Opera omnia* I, col. 437a.

<sup>42</sup> Ibid. III, d. 6, a. 1, q. 1: *Opera omnia* III, col. 149b.

<sup>43</sup> Ibid., d. 5, a. 2, q. 2, scholium, col. 135b.

<sup>44</sup> *Opera omnia* (ed. Parmensis) VIII, col. 542a.

<sup>45</sup> *Sent.* III q. 1 in corp.: Codex Florentinus Bibl. Nat. A IV 42, f. 114rb.

tamen non constat, quoniam opinio Warensis videtur proxime accedere ad sententiam Thomae Aquinatis<sup>46</sup>, quam tamen reicit Ioannes Duns Scotus<sup>47</sup>.

Quidquid autem est de hac re in speciali, memoriā tenendum est Guillelmum, Bonaventuram, Petrum Olivi, etiam Thomam Aquinatem non fuisse exemplaria pro Ioanne Duns Scoto, qui e contrario, cum illorum scripta cognovisset – verum nihil exscripsisset –, factus est eorum perfector<sup>48</sup>. Itaque non licet inflectere Scotum ad consuetudines Guillelmi, Bonaventurae aliorumque fratrum Scholae vetustioris, quia non illi sunt perfectores Ioannis, sed utique is est illorum perfector, qui re ipsa condidit Scholam Franciscanam novam, multo subtiliorem et accuratiorem. Limes autem inter hanc atque Scholam veterem magna ex parte constituit utique in mutata definitione ‘personae’. Cum enim Veteres (una cum Thoma) tenuissent definitionem Boëthii (‘rationalis naturae individua substantia’) – convenientem personis humanis, verum non divinis –, Ioannes Duns Scotus illam reiecit non solum ut parum accuratam, sed ut non sufficientem; et hac de causa assumpsit eam, quam dederat Richardus Victorinus: ‘rationalis naturae incommunicabilis existentia’<sup>49</sup>.

Etiamsi apud Guillelmum Warensem et nonnullos alios theologos Scholae Franciscanae veteris – non aliter ceterum atque apud Thomam iuvenem – videatur occurrere illa vox ‘substantificare’, tamen hoc fit saepe non eodem sensu, quo b. Ioannes scribebat ‘sustentare’, vel etiam alio quam Thomas ponebat ‘substantificare’. Hanc rem magistraliter demonstraverunt eruditii Patres editores operum s. Bonaventurae, inter alia declarantes: “Eodem [quidem] verbo utitur etiam s. Thomas, sed non in eodem sensu, cum dicat de *persona* Filii, quod illa <simpliciter substantificatur per naturam>”<sup>50</sup>, id est hanc naturam continet ac terminatur, quod certe verum est. Hic itaque ‘substantificatur persona’, et non ‘natura’, quod ceterum esset simplex ‘idem per idem’.

Aliquod exemplar igitur seu mensura, qua potest penitus dignosci mens et vocabula b. Ioannis, datur non in rudimentalibus atque aequivocis terminis Scholae veteris simulque Thomae Aquinatis, sed in scriptis proximorum Scotti discipulorum, qui – cum auribus suis hausissent doctrinam eius et prae manibus habuissent codices proximos originali vel ipsum originales – ubique scripserunt vocem ‘sustentare’. Ad hos pertinetnt Fratres Minores examini: Franciscus Mayronius et An-

<sup>46</sup> *Summa theologiae* III, q. 77, a. 1, ad 4.

<sup>47</sup> *Ordinatio* IV, d. 12, q. 1, n. 3: *Opera omnia* (ed. FF. Minores in Francia) XVII, pp. 520-521; *Reportata Parisiensia* IV, d. 12, q. 1, n. 4: *Opera omnia* XXIV, p. 136a.

<sup>48</sup> Paulus VI, *Litterae apostolicae Alma parens*: AAS 58 (1966), p. 611.

<sup>49</sup> *Ordinatio* I, d. 23, q. un., n. 15: *Opera omnia* V, pp. 355-357.

<sup>50</sup> Apud Bonaventurae *Commentarios in Sententias* III, d. 5, a. 2, q. 2, scholium: *Opera omnia* III, col. 135b.

tonius Andreae<sup>51</sup>, “doctrinae sui magistri Scoti praecipuus defensor”<sup>52</sup>, et Petrus Aquilanus, qui ob egregiam fidelitatem erga Doctorem Subtilem vel cognomine Scotelli decoratus est. Praeter hos autem testes principales consulendi sunt doctores Ioanni coaevi. Inter illos eminent Minister generalis, sub quo Ioannis Duns Scotus “claruit Parisiis”<sup>53</sup> (1296-1304), frater Ioannes Murrinus, qui antea fuerat magister Domus Pontificiae (1291-1296), cardinalis autem factus est anno 1302. Hic enim vir doctissimus in operum suorum locis respondentibus habet verbum ‘supportare’<sup>54</sup>, quod re certe idem est ac ‘sustentare’ Scoticum.

Eiusmodi accurata terminologia prostat etiam apud Robertum Kilwardby, Dominicanum Britannicum, qui ceterum reprobavit nonnullas sententias Thomae. Is enim, perinde ac frater Ioannes Murrinus OFM, loco Scotici ‘sustentare’ saepe adhibet aequivalens ‘supportare’, e. g. dicens:

Et ideo ad hoc quod unitatem faciat, tota concurret in unam personam divinam, quae *personare* habet utramque naturam necessario. Exemplum grossum ad hoc est quod radix *portat* stipitem suae naturae et eidem inseritur surculus alterius naturae, et permanet radix una *portans* stipites arborum diversae naturae. – Sic et persona divina naturale suppositum est et quasi fundamentum, in se *portans* naturam divinam et eadem dignatione sua in se suscepit *portandam* et *sustinendam* naturam humanam, manens unica hypostasis diversarum naturarum, scilicet durum<sup>55</sup>.

Sed hoc potest intelligi duplice. Vel per veram suppositionem, scilicet quod suppositum in natura divina fieret vere suppositum naturae humanae; non quod natura humana non posset subsistere in proprio supposito, sed quod dignatione Dei hoc factum sit, sicut qui per se potest stare, ab alio quandoque *supportatur*, et qui posset ire per se, ab alio fertur... Vel per quandam applicationem (...)<sup>56</sup>

Rationem enim individui habet [ens humanum] ex hoc, quod non est ultra divisibile in partes subiectivas, ratione personae ex hypostasi rationali *supportante* in se illam naturam coniunctam<sup>57</sup>

---

<sup>51</sup> Cf. C. Bérubé OFMCap., *Antoine André, témoin et interprète de Scot*, in *Antonianum* 54 (1979) 386-399.

<sup>52</sup> Marianus Florentinus OFM, *Compendium chronicarum Fratrum Minorum*, in *Archivum Franciscanum Historicum* 2 (1909) 632.

<sup>53</sup> Marianus Florentinus OFM, *Vita beati Ioannis Duns Scoti* (c. 1480), n. 1: Sacra Congregatio pro Causis Sanctorum, *Positio super cultu ab immemorabili praestito atque virtutibus Servi Dei Ioannis Duns Scoti, sacerdotis professi Ordinis Minorum sancti Francisci* (Officium historicum, 182), Civitas Vaticana 1988, p. 121.

<sup>54</sup> Ioannes Murrinus OFM, *Commentarii in Sententias III*, q. 5: Codex Florentinus Bibl. Laur., conv. soppr. 123, f. 85va.

<sup>55</sup> *Quaestiones in librum tertium Sententiarum*, q. 9: Ed. E. Gössmann, München 1982, p. 48.

<sup>56</sup> Ibid., q. 11, p. 55.

<sup>57</sup> Ibid., p. 57.

Est enim simpliciter 'homo' ex coniunctione animae rationalis et carnis, sed 'iste homo' ex hypostasi rationali determinata, quae talem naturam in se suscepit deferendam vel ut ita dicam *supportandam*, vel tale coniunctum<sup>58</sup>.

Ad hos duos doctores adiungendus est Petrus Falcinus OFM, qui munus personae in unione hypostatica de more indicat verbo 'stabilire'. "Aliquid – inquit – a divino supposito assumi nihil aliud est, quam ipsum in supposito divino *stabiliri* ita, quod persona divina, quae ab aeterno fuit hypostasis naturae divinae, sit ex tempore hypostasis naturae assumpta ipsam in se *stabiliens*. Et hoc modo suppositum divinum assumpsit naturam humanam"<sup>59</sup>. Num vult Petrus hoc vocabulo dicere aliud quam Murrinus et Kilwardby voce 'supportare'? Minime vero, nam verbum 'stabilio' seu facio, uti stet aliquid neque corruat, plane affine est vocibus 'supporto' et 'sustineo', et hoc utique sensu frater Petrus illud pluries adhibuit; quod insuper patet inde, quod sensu parallelo usus est verbo 'sustineo'<sup>60</sup>.

Thomas quidem aliquanto scrutatus est rem theologico-metaphysicam in eis, quae attinent ad conceptus 'entis', 'essentialiae', 'existentiae', sed in eis, quae spectant ad 'personam', 'hypostasim', 'subsistentiam', remansit in statu rudimentali, nebuloso, nec semper eodem modo illa verba intelligens. Hunc defectum agnoverunt periti optimi, ex una parte declarando: "Ma già dal sec. XIII il termine 'sussistenza' [stricte respondens Graecae voci *hypostasis*<sup>61</sup>] perde via via il suo significato generico (la concreta realtà esistente) per assumere un significato particolarissimo, quello di costituente il principio dell'esistenza in sé, propria e distinta"<sup>62</sup>, ex altera agnoscentes: "Non si trova quindi presso di lui [Tommaso] distinta la 'sussistenza' dall'esistere proprio della sostanza"<sup>63</sup>. Itaque non prius quam altero dimidio saeculi "si viene a distinguere la 'sussistenza' dall'esistenza sostanziale: la distinzione che non compare nelle opere di s. Tommaso"<sup>64</sup>; similiter – exceptione facta pro Alessandro Halensi OFM<sup>65</sup> et Roberto Kilwardby OP, ambo bus Britanicis – non comparet in vetere Schola Franciscana sive ante Ioannem Duns Scotum.

<sup>58</sup> Ibid., p. 58.

<sup>59</sup> *Quodlibet* II, q. 3: Pierre de Falco, *Quaestiones disputatae de quolibet* (ed. A.J. Gondras), in *Archive d'Histoire Doctrinale et Littéraire du Moyen Age* 33 (1966), p. 204.

<sup>60</sup> Ibid., p. 205.

<sup>61</sup> Vide A. Gazzana, G. Rovea, *Sussistenza*, in: *Encyclopedie filosofica* VII, col. 44.

<sup>62</sup> Ibid.

<sup>63</sup> Ibid., col. 45.

<sup>64</sup> Ibid., col. 46.

<sup>65</sup> Cf. *Quaestiones disputatae 'antequam esset frater'*, q. 1, m. 9: Ed. Collegium Bonaventurianum OFM, Quaracchi 1960, pp. 10-11: «Substantia vero, licet in primis temporibus et apud nos commune esset 'essentialiae' et '[ei]us quod est]', tamen *propter nominis ambiguitatem*, ne videremur incidere ad condendum tres essentialias, appropiamus 'substantiam ei 'quod est'' et 'essentialiam ei 'quo est''. Unde substantiam unam dicimus et unam essentialiam, tres autem personas et tres subsistentias».

Ad perfectivum illud transitum efficiendum, de quo concordant viri peritissimi, contulit praesertim b. Ioannes incipiens ab accuratiore definitio ‘personae’. Certe igitur liquet nobis, eius confratribus ac sociis, hoc eius meritum esse ponendum in luce, et non occultandum violando codices.

## TESTIMONIA QUAEDAM

Mens Ioannis Duns Scoti satis quidem elucet iam ex eis, quae scripsit in bina distinctione libri tertii, verum prodest hanc rem contueri in lumine totius operis Doctoris Subtilis. Non desunt, qui nuper illam perscrutaverint, primatum obtinente Roberto Cross, theologo Anglicano, cuius quidem expositio plene concordat cum eis, quae hic dicta sunt<sup>66</sup>.

Non minoris momenti est rem confirmari a duobus maximis rei Scoticae doctribus aevi recentioris, nempe a p. Deodato Maria Baliaensi (de Basly) OFM<sup>67</sup> et a p. Parthenio Minges OFM, qui etiam socius fuerat Sectionis Scotisticae. Quorum prior, perspectis manuscritis operum Ioannis Duns Scoti<sup>68</sup>, quadamtenus viam stravit alteri, qui ceterum iure merito a coaevis agnitus est eminentissimus doctor theologiae Scoticae<sup>69</sup>. Hic autem frater clarissimus ait:

Verbi ergo divini nonnisi proprium est, quod terminat naturam assumptam seu *sustentat*, ei subsistentiam praebet eam assumendo in unionem personae vel supplingo eius personalitatem propriam deficientem<sup>70</sup>.

[Iuxta Doctorem Subtilem divina persona Filii] manet persona independens a natura assumpta, sed tantummodo est terminans eam, vel terminus, a quo natura assumpta in esse subsistentiae dependet vel a qua *sustentificatur* seu *hypostasatur*<sup>71</sup>.

---

<sup>66</sup> R. Cross, *The Metaphysics of the Incarnation. Thomas Aquinas to Duns Sotus*, Oxford 2002, pp. 162-175.

<sup>67</sup> Cf. *Scotus docens ou Duns Scot enseignant la Philosophie, la Théologie, la Mystique*, Paris-le Havre 1934, pp. 242-243; L. Seiller OFM, *Un théologien scotiste: le Révérend Père Déodat de Basly*, in *La France Franciscaine. Recherches de Théologie, Philosophie, Histoire* 21 (1938), pp. 95-112; ibid. 31 (1938), pp. 167-192; *La notion de personne selon Scot. Ses principales applications en christologie*, ibid. 20 (1937), p. 223.

<sup>68</sup> “Ceux qui ont pu vérifier dans le premier tome des *Capitales de Scot* notre souci d’exactitude scrupuleuse, le retrouveront toute entier dans ce deuxième volume. Nous ne donnons pas tel quel le texte récent de Vivès, mais un texte soigneusement revisé et corrigé”: Deodatus Baliaensis (Déodat de Basly) OFM, *Capitalia opera beati Ioannis Duns Scoti*, vol. II: *Synthesis theologica*, Le Havre [1911], p. LVIII.

<sup>69</sup> ‘Curriculum vitae’ in *Antonianum* 1 (1926), p. 508.

<sup>70</sup> P. Minges OFM, *Ioannis Duns Scoti doctrina philosophica et theologica* II, Quaracchi 1930, p. 342.

<sup>71</sup> Ibid., p. 334.

Hic autem magni ponderis est in lumine ponere locutionem "sustentificatur seu hypostasiatur" nullatenus esse creatam a Parthenio Minges, sed pertinere ad modum loquendi proprium Ioannis Duns Scoti; quod e. g. patet in hoc eius eloquio de possibilitate assumptionis etiam naturae irrationalis a Verbo: non quidem quatenus Verbum est persona sive ens rationale, sed quatenus est suppositum sive hypostasis, i. e. ens in se ipso subsistens, et non in alio.

Tunc enim illud ens irrationale "diceretur *hypostasiari* seu *sustentificari*, non tamen personari, propter differentiam illius dependentiae, quae dicitur *hypostasiatio* vel *sustentificatio*, ad illam dependentiam, quae dicitur *personatio*"<sup>72</sup>.

Dolendum est tamen etiam hunc locum a Praeside esse mutatum, ita ut b. Iannes inducatur dicens: "hypostasiari vel substantificari" et "hypostatatio vel substantificatio". Quod tamen continet contradictionem in terminis et est prorsus impossibile. Demonstratur autem argumentis saltem quattuor:

1. – Nemo, saltem inter Britannos (Anglonormannos ac Scotos) post Alexandrum Halensem<sup>73</sup>, ausus est pro eodem habere 'hypostasim' et 'substantiam', quod tamen manifeste supponitur a Praeside, cum in eius nota intercedat particula aequiparativa 'vel' ('hypostasiari vel substantificari', 'hypostatatio vel substantificatio').

2. – Ipse Ioannes Duns Scotus declarat: "«*Sustentare* naturam» potest dici duplíciter: effective et formaliter sive terminative. Primo [modo] Trinitas *sustentificat* naturam humanam in Christo, id est facit eam sustentificatam. Secundo modo solum Verbum *sustentificat* unionem naturae creatae ad ipsum"<sup>74</sup>. Hoc loco tamen, ut plurimis aliis, a Praeside mutatae sunt lectiones codicum. Quapropter animadvertisendum est:

Ad primum modum: Trinitas simpliciter creat naturam humanam Christi, proindeque illam *sustenat effective* (inter universalem gubernationem rerum creatarum) – ut docet b. Ioannes –, et non 'substantificat', uti vult Praeses.

Ad secundum modum: Hic dicitur de 'sustentificatione unionis', quod optime constat, cum adinventa illa 'substantificatio unionis' contineat absurditatem

<sup>72</sup> *Ordinatio III*, d. 2, q. 1, n. 13: *Opera omnia* (ed. FF. Minores in Francia) XIV, 122b-123a.

<sup>73</sup> Cf. *Quaestiones disputatae 'antequam esset frater'*, q. 2, m. 2, p. 14: "Primitus dicebatur 'substantia' aequivice. Quandoque enim pro 'hypostasi', et sic dicebantur tres esse; aliquando pro 'essentia', et sic [dicebatur esse] una. Sed quia haeretici ex hoc volebant in errorem ducere, determinata est ambiguitas illa, [ita] ut 'substantia' dicat 'id, quod est', 'essentia vero illud, quo est', 'hypostasis' vero [dicat] 'qui est?', persona autem 'quis est?'. Unde sicut dicimus 'una est divina essentia', ita dicimus 'una est divina substantia'; ibid., q. 1, m. 9, pp. 10-11: "«Substantia» vero, licet in primis temporibus et apud nos commune esset 'essentiae' et '[eius] quod est]', tamen propter nominis ambiguitatem, ne videremur incidere ad condendum tres essentias, appropiamus 'substantiam' ei 'quod est' et essentiam ei 'quo est'. Unde substantiam unam dicimus et unam essentiam, tres autem personas et tres subsistentias".

<sup>74</sup> *Ordinatio III*, d. 1, q. 4, n. 2: *Opera omnia* (ed. FF. Minores in Francia) XIV, p. 84a.

in terminis, quoniam ‘unio’ est *relatio* conceptusque *abstractus*, et non ullum ens, quod possit substantificari.

3. – B. Ioannes adhibet verbum ‘suppositari’ ut synonymum verborum ‘hypostasiari’ et ‘sustentari’ – nequaquam tamen verbi ‘substantificari’ –, e. g. dicens:

Et cum dicitur: ‘Suppositum increatum supplet vicem suppositi creati’, [id] verum est in hoc, quod [illud] perimat dependentiam in actu naturae ad suppositum [proprium, humanum]… tamen non causat identitatem formalem, sicut si natura [humana] *suppositaretur* in se, quia suppositum extrinsecum cum natura [seu ‘relative ad naturam humanam’] non habet ‘esse’ ita formaliter idem [cum illa], sicut suppositum intrinsecum [humanum haberet], nisi Verbum nullum ‘esse’ haberet aliud a natura humana: quia suppositum non dat ‘esse’ naturae neque agere, sed e contra universaliter in creaturis...<sup>75</sup>.

4. – Si b. Ioannes scripsisset ‘substantificare’ (et non ‘sustentare’) – quemadmodum vult Praeses –, non potuisset illud aequiparare cum verbis ‘hypostasiare’ et ‘suppositare’, quod tamen manifeste fecit, ut dictum est supra.

Ceterum si his locis – per impossibile – voluissest ponere ‘substantificare’, vel ‘substantiare’ illud aequiparavisset non cum voce ‘hypostasiare’, sed cum verbo ‘ousiare’, quod illo tempore – praesertim apud Britannos – erat bene notum<sup>76</sup>, etiam ut pertinens ad originalem textum Graecum operis *De fide orthodoxa Ioannis Damasceni*, ubi prostat verbum *ousioutai*<sup>77</sup> formatum e nomine *ousia* (essentia, substantia). Hic autem liber Damascenicus ‘diurna nocturnaque manu’ versabatur a Ioanne Duns Scoto, praesertim in translatione Roberti Grossatesta, ubi – perinde atque in aliis versionibus – illi verbo respondet Latina vox ‘substantiatur’<sup>78</sup>.

Scholae veteris aequivocum et error in usu verbi ‘substantificare’ videtur principaliter ortum esse e conamine ‘regulandi’ lectiones Ioannis Damasceni cuius opus in re dogmatica praestantissimum *De fide orthodoxa* in Latina translatione habet locutiones ‘[natura] substituta’<sup>79</sup> vel ‘substitura’<sup>80</sup>, nec non ‘[naturam] sub-

<sup>75</sup> *Reportata Parisiensia* III, d. 12, q. un., n. 5: *Opera omnia* (ed. FF. Minores in Francia) XXIII, p. 328a.

<sup>76</sup> Cf. Alexander Halensis, *Quaestiones disputatae ‘antequam esset frater’*, q. 1, m. 9; p. 10: “Unde tres subsistentias dicimus [in Trinitate] et tres modos subsistendi. ‘Ousiosis’ enim est ‘ousiae’ perfectio in creaturis, hic non; sed *subsistentiae* sunt tres modi subsistendi, quibus *Personae* subsistunt”.

<sup>77</sup> Ioannes Damascenus, *De fide orthodoxa* III, c. 11: PG 94, 1025c.

<sup>78</sup> Idem, *De fide orthodoxa*, c. 57: Codex Vaticanus Chigi A. VIII. 245, f. 34vb. – In anteriore autem translatione Burgundionis Pisani, quam edendam curavit E. M. Buytaert OFM sub titulo Saint John Damascene, *De fide orthodoxa*. Versions of Burgundio and Cerbanus (Franciscan Institute Publications, Text series n. 8), S. Bonaventure NY 1955, hoc verbum legitur in p. 207.

<sup>79</sup> In translatione R. Grossatesta, f. 33va.

<sup>80</sup> Apud Burgundium, p. 198.

stituit’<sup>81</sup>. His autem vocibus voluerunt modo suo reddere formas verbi ‘subsistere (*hyphistasthai*)’.

Cum autem hoc verbum magistris Scholae veteris videretur pertinere ad coniugationem vocis ‘substituo’, maluerunt ponere ‘natura substantificata’, et ‘naturam substantificavit’. Qua re tamen causaverunt non solum gravem ambiguitatem ac confusionem – negligentes differentiam inter ‘substantiam’ et ‘subsistentiam’ –, sed imprimis detorserunt sententiam Ioannis Damasceni, qui illis locis intuetur ‘naturam, quae obtinuit subsistentiam (*hypestē*, part. pf. *hypostasa*)<sup>82</sup> [apud interpretes: ‘n. substitutam’] et ‘naturam praeditum subsistentia’ (*hypestēsato*)<sup>83</sup> [apud interpretes: ‘n. substituit’]; quod – ut patet – refertur ad nomen ‘subsistentia (*hypostasis*)’ verbumque ‘subsistere (*hyphistasthai*)’ [et non ‘substituere’], accurate reddens textum Damascenicum.

Ut consuetudo illorum magistrorum Scholae veteris posset probari, essetque libera ambiguitate et confusione, illis locis Damasceni deberet prostare verbum ‘*ousioutai*, inf. *ousiousthai*’), quod tamen nullatenus datur. Ubi autem prostat, ab utroque interprete recte vertitur ‘substantiari’<sup>84</sup>.

Praeterea vox ‘sustentare’ occurrit non solum in tertio parallelo commentario Scoto, cuius familiae manu scriptae appellantur *Reportationes*<sup>85</sup>, sed etiam pluries prostat in respondentia parte *Quaestionum quodlibetalium*<sup>86</sup> Ioannis Duns Scoti, quae unanimiter habentur theologicum opus eius maturissimum et perfectissimum<sup>87</sup>. Sperandum erat, ut etiam in *Lectura* et *Ordinatione* observaretur unanimis lectio codicum.

Recolendum est insuper id, quod iam supra indicavimus, nempe hoc verbum ‘sustineo (sustentifico)’, et quidem prostans in eadem forma graphicā, qua locis allatis, alibi utique habere fundamentalem suam significationem tenendi aliquid subtus veluti manibus, quae tamen ne de longe quidem posset associari cum aliqua ‘substantificatione’. Quod patet e. g. in *Quodlibetalium* quaestione XXI, quae

---

<sup>81</sup> In versione Burgundii, p. 172; apud R. Grossatesta vero, f. 29rb.

<sup>82</sup> *De fide orthodoxa* III, c. 53: PG 94, 1017b.

<sup>83</sup> *Ibid.*, c. 2: PG 94, 985c.

<sup>84</sup> *Ibid.*, c. 11: PG 94, 1025c; apud R. Grossatesta, Cod. Vat. Chigi, f. 34vb; in translatione Burgundii (ed. E. M. Buytaert OFM), p. 207.

<sup>85</sup> Hoc demonstravit p. César Saco, duabus expositionibus scriptis ad rem exponendam Praesidi. Nisi César inopinata mortuus esset mense Februario anni 2005, *Ordinatio* III/1 prodiisset in forma diversa. – Cf. Ioannes Duns Scotus, *Reportata Parisiensia* III, d. 1, q. 5: *Opera omnia* (ed. FF. Minores in Francia) XXXIII, pp. 246a, 248ab, 250a.

<sup>86</sup> Imprimis in earum quaestione XIX: *Utrum in Christo unitas naturae humanae ad Verbum sit sola dependentia naturae assumptae ad personam Verbi*; vide *Opera omnia* (ed. FF. Minores in Francia) XXVI, p. 259-297.

<sup>87</sup> Cf. P. Raymond, *Duns Scot*, in: *Dictionnaire de théologie catholique* IV/2, coll. 1871-1872.

incipit: “Utrum [aliquis] ponens mundi aeternitatem, possit sustinere aliquem esse universaliter bene fortunatum”<sup>88</sup>.

Praeter ea, quae attinent ad commutationem factam in ipso textu Ioannis Duns Scoti, non desunt errores in notis. Qui nunc singillatim recensendi sunt.

1. – Ad notam 29 *Testimoniorum* (T) in distinctionis 14 textu n. 31, p. 435.

In hoc textu Praeses agnoscit quidem omnes codices – solo excepto manuscrito B, qui habet ‘potest’ – tradere formam ‘possit’, verum putat amanuenses erravisse in legendō originali, ubi secundum illum prostiterit ‘poterit’, quae habeat simile compendium. – Verumtamen compendia possit (poit) et poterit (pot’it) non videntur esse similia neque patet necessitas eundi contra codices, qui concorditer tradunt possit (ut ‘coniunctivum potentiale’m) idque secundum generalem formam huius enuntiati:

Ex hoc enim sequitur... quod sit *aliqua intelligentia*; ergo etiam pari ratione sub primo intelligibili possit *aliqua intelligentia* adaequari.

Hucusque, dum agitur de possibilitate in generali, parallelitas confirmatur verbis “*aliqua intelligentia*” in utroque membro. Conclusio autem definitiva, quae incipit voce igitur, collocatur quidem in plano modi indicativi, sed perspicuum est eam magis distingui ab utroque membro praecedenti quam illa inter se, cum sint parallela. – Conferendus est huius distinctionis textus n. 43, ubi similiter modus coniunctivus ligatur cum indicativo temporis futuri: “ergo quotcumque effectus cognoscat, nullum eorum comprehendet” et paucis interiectis: “et ita... comprehendet, si tamen [scil. etiamsi] omnes effectus eius cognoscat”.

2. – Ad notam minorem *Testimoniorum* 4+ in distinctionis 7 textu n. 58, p. 285.

Praeses putat Ioannem “evidenter lapsum esse” in scribendo enuntiatu: “sine quibus non ordinaretur quis ad tantam gloriam sine eis, sicut cum eis” (lin. 392-393), cum scripsisset verba “sine eis” post “gloriam”<sup>89</sup>, ideoque illa cancellavit in textu Scoti contra codices. – Verumtamen nullus hic lapsus est b. Ioannis, quia sensus est: “sine quibus [meritis] non ordinaretur quis ad tantam gloriam sine eis [meritis], sicut cum eis”.

Repetitio ‘sine quibus... sine eis’ pertinet ad stilum Ioannis Duns Scoti, qui – maioris claritatis causā – hoc modo resumit et in memoriam revocat id, quod pau-

---

<sup>88</sup> N. 1: *Opera omnia* (ed. FF. Minorum in Francia) XXVI, 332a.

<sup>89</sup> Nota ‘c’ proxime sub textu in p. 285.

lo ante indavicit. Si autem videretur illud ‘sine eis’ superfluum esse, res esset indicanda in nota, et non vis facienda genuino textui Doctoris Subtilis<sup>90</sup>.

3. – Ad notam minorem 2+ (T) in distinctionis 8 textu n. 58, p. 317.

Hoc loco ablata est particula ‘aut’, quam tamen habent omnes codices<sup>91</sup> in enuntiato: “Aut est alia; et si hoc aut, illa fundabitur super unum, et quaero superquam unitatem” (lin. 442-443)

Hic videtur eligendum esse inter duo. Si enim illud aut irrepserit ac superfluum sit, agnoscendum sit sermonem evolvi recto tramite, et non “aliter”, quemadmodum vult nota. Si tamen illud ‘hoc’ (proxime praecedens) esset pronomen demonstrativum respectu particulae ‘aut’ – sensu videlicet ‘hoc aut’ (scil. “est alia”) relative ad ‘illud aut’ (scil. “eadem quae aequalitas”, lin. 440), velut si quis in casu simili diceret ‘hoc vel’, ‘illud vel’ –, relinqenda esset particula ‘aut’, quippe quae certe contineatur in Scotti textu genuino.

Praeterea in praecedenti membro “non enim potest...” (lin. 439), contra codices (excepto A), positum est lemma ‘relatio’, quod non videtur probari etiam ideo, quod sic obtinetur argumentatio ‘idem per idem’. Est enim enuntiatum explicans illud “unio est relatio [scil. ‘esse ad alterum quid?’]”, quod prostat in membro priore, quapropter Ioannes in lumine collocare vult illam “unionem”, quae sit “relatio”, non esse quid absolutum sive ‘ens ad se’, proindeque ait: “non... potest intelligi ratio [seu ‘notio’] unionis [quae sit] ad se”, cum haec sit ‘ens ad alterum quid’ (relatio). – Ceterum “relatio... ad se” sapit contradictionem.

4. – Ad notam ‘minorem’ 2+ (T) in distinctionis 14 textu n. 106, p. 464.

Ioanni Duns Scoto hic obicitur lapsus memoriae, et loco eius verborum: “Quomodo angelus distinete cognoscat se”<sup>92</sup>, quemadmodum habent omnes codices, Praeses posuit sua: “Quomodo angelus distinete cognoscat quiditates creatas” (lin. 748-749), adiungens rem ita sonare apud Henricum Gandavensem, cuius opinionem Ioannes consideraret in libro II (nota 110). – Verumtamen liquet Commissionem non curare edendum librum Henrici, sed Ioannis Duns Scoti, qui genuinis verbis suis remittit ad partem secundam distinctionis 3 in suo libro II *Ordinationis*, cuius quaestio 1 – etiam in editione nostra – utique sonat: “Utrum angelus posset se cognoscere per essentiam suam”<sup>93</sup>. Huiusmodi res tamen sunt illustrandae in notis, et non manus inferendae in textum Ioannis, qui ceterum memoriam habuit optimam.

---

<sup>90</sup> De iteratione particularum apud b. Ioannem cf. *Ordinatio* III d. 12 n. 7; d. 16 n. 52; d. 17 n. 11.

<sup>91</sup> Nota ‘d’ proxime sub textu in p. 317.

<sup>92</sup> Nota ‘c’ proxime sub textu in p. 464.

<sup>93</sup> Ed. nostra, VII 544.

\*\*\*

Quae his paginis demonstravimus de relatione inter personam et naturam, ea magni quidem ponderis sunt et probe fundata, verum adhuc maioris momenti est ipse status codicum, ubi nusquam prostat ‘substantificare’: quia contra factum non datur argumentum. Ubi cumque igitur in distinctione prima utriusque libri occurrit mutata vox ‘substantifico’, ibi redeundum est ad originalem ‘sustento’ vel geminam ‘sustentifico’ prout illae prostant in priore editione patrum Franciscanorum Observantium facta Parisiis anno 1894<sup>94</sup>, cuius quidem loci respondentes facile reperiuntur secundum numeros in uncis quadratis positos in nostrarum paginarum marginibus internis. Secus enim non solum non perciperetur mens Ioannis Duns Scoti, sed perveniretur vel ad opinionem de substantificando accidente<sup>95</sup>, quod patens esset contradictio.

Apud Ioannem illud ‘sustentare [naturam seu substantiam]’ – praeter aequivalentem locutionem ‘naturae (substantiae) dependentiam terminare<sup>96</sup> – idem dicit quod eam ‘personare’. Quod evidenter patet, si conferantur e. g. duo loci propinquui in eius augustissimo opere, cui titulus est *Quaestiones quodlibetales*. Priore enim loco ait: “Personam divinam eminenter continet perfectionem omnis suppositi causati: igitur potest supplere vicem cuiuscumque [personae] in sustentando illam naturam. – Praeterea quaelibet natura creata est in potentia oboedientiali respectu personae divinae: igitur persona divina potest sustentare quamcumque [naturam]”<sup>97</sup>. Paulo post autem ille de eadem re dicit: “Quaecumque natura est simpliciter in potentia oboedientiali ad dependendum e persona divina. Si ergo esset ulla entitas positiva, quia natura esset in se personata, illa entitas esset assumpta a Verbo, et tunc natura [humana] in Christo esset personata simul duplice personalitate. Quod est impossibile, quia si creata [est], igitur per illam est formaliter incommunicabilis alteri personae, et per consequens personae Verbi non communi-

---

<sup>94</sup> *Opera omnia* (ed. FF. Minores in Francia) XXVI, pp. 259-297. Haec editio, resumens textum coetus Waddingiani, exente saeculo XIX impressa est Parisiis apud Ludovicum Vivès.

<sup>95</sup> Distinctionis 1 textus n. 142, p. 64.

<sup>96</sup> Haec locutio versatur circa substantiam, quae est iam praesens – ideoque non indiget substantificatione – et quidem ita, ut novo adminiculo ontologico seu sustentaculo illi addito a parte personae, substantia fiat summe sive exclusive dependens ab hac persona singula. Quae ceterum in divinis sub hoc aspectu a beato Ioanne egregie definitur ULTIMA SOLITUDO, cui repugnat non solum communicatio actualis – quemadmodum in creatis –, sed insuper communicatio aptitudinalis: *Ordinatio III*, q. 1, pars 1, n. 68: *Opera omnia* (ed. Romana OFM) IX, p. 32; cf. *Quaestiones quodlibetales*, q. 19, nn. 2, 4-5, 9, 14, 19, 21, 25: *Opera omnia* (ed. FF. Minorum in Francia) XXVI, pp. 260a-260b, 264b-265a, 270a, 279b-280a, 288a, 290b, 294a, 295a; *Ordinatio III*, d. 1, pars 1, q. 1, nn. 9-11, 44-47, 50, 68, 83: *Opera omnia* (ed. Romana OFM) IX, pp. 3-4, 19-21, 23-24, 31-32, 39; ibid. n. 20: *Opera omnia* (ed. FF. Minorum in Francia) XIV, 44b-45a.

<sup>97</sup> Q. 19 n. 15 (ed. FF. Minorum in Francia) XXVI, p. 284a.

catur, et ita in ipso non personatur<sup>98</sup>. – Ambo igitur verba indicant actionem faciendam circa naturam seu substantiam, quae est iam praesens, itaque – dum collocantur contra illam – nequeunt significare ‘substantificationem’, id est actionem, qua substantia praesens deberet fieri sive esse incipere.

## SOMMARIO

In questo articolo l’attenzione si concentra sul riferimento della Persona divina alla natura umana del Signore Gesù. Le precisazioni al riguardo sono state necessarie di fronte alla nuova edizione del libro III di quanto il beato Giovanni Duns Scoto scrisse sulle *Sententiae* di Pietro Lombardo. Qui infatti contro tutti i codici dei testi di Scoto, dove si legge che la Persona *sustentat* (ossia *sustentificat*) *naturam*, l’edizione mette il verbo *substantificat* [*naturam*], ed in più – nelle *lectiones variantes* dell’apparato critico non viene mai annotato il notevole cambiamento fatto.

## STRESZCZENIE

W niniejszym artykule jest mowa o odniesieniu Osoby boskiej do natury ludzkiej w Panu Jezusie Chrystusie. Podjęcie tej sprawy stało się konieczne wobec nowego wydania księgi III tego, co bł. Jan Duns Szkot napisał, wyjaśniając *Sentencje* Piotra Lombarda. Tam bowiem, wbrew wszystkim rękopisom dzieł Szkota, gdzie napisane jest, że Osoba podtrzymuje – *sustentat* (*sustentificat*) naturę, w wydaniu drukowanym umieszczono czasownik *substantificat*, który znaczyłby, że Osoba naturę czyni substancją, czyli nią samą, bo natura i substancja to synonimy. Poza tym, w aparacie krytycznym nie zaznaczono poszczególnych miejsc, gdzie wprowadzono tak istotną zmianę.

---

<sup>98</sup> Ibid., n. 18, p. 287a; cf. *Ordinatio* III, d. 1, pars 1, q. 1. nn. 6, 46-47, 56: *Opera omnia* IX, pp. 3, 20-21, 26; ibid., n. 17 (ed. FF. Minorum in Francia) XIV, 44b-45a.